



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Feria secunda post S. Pentecosten

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

tes. Fili! quæ est vita nostra? si sine operibus bonis, judicabimur graviter. In Jesum credimus? *Fac opera Christi, ut vivat fides tua*, ait S. Bernardus.

Instructio meritoria.

Capimus? nulla proin hâc die nobis prætereat hora sine labore, aut pietatis exercitio. A prandio speciali visitatione veniamus ad Jesum, & coram Sanctissimo 15. *Pater & Ave* cum *Credo* persolvamus in honorem quindecim SS. Mysteriorum Vitæ Jesu. Otium fugiamus & ardebimus Spiritu Sancto.

Feria II. post. S. Pentecosten.

EXHORTATIUNCULA I.

Nulla in discendo mora datur, ubi Spiritus Sanctus Doctor adest. *Tace*, fili mi! *quiesce*, & *late*. Tunc audies, quid tantus cordi tuo loquatur Deus. Quis nescit, quantum homo indigeat illius alloquiô?

Instructio meritoria.

Id ut mereamur frequentius, semel hâc hebdomade saltem nos subtrahamus publicæ conversationi. & locò hujus
adea-

adeamus Ecclesiam, oraturi 14. *Pater
& Ave* in honorem septem donorum
Spiritus Sancti promittentis: *In solitu-
dine me invenies.*

II.

AD faciendum bonum quid in nobis
bonus non operatur Spiritus? profe-
ctò monet, movet, & docet. Monet me-
moriā: movet voluntatem, & docet
rationem: Nec minimam paleam intra
cordis, quod possidet, habitaculum pa-
titur, sed statim igne subtilissimæ cir-
cumspeditionis exurit spiritus sapiens, &
dulcis. Et ò fili! nos tam duri, tam fri-
gidi, & incurii sumus?

Instructio meritoria.

Magnum donum circumspectio! ut
obtineamus, in venerationem 12. *Fru-
ctuum* Spiritus S. orabimus 24. *Pater
& Ave* cum *Gloria Patri &c.* In in-
gressu autem cubiculi semper genufle-
ctentes dicamus: *Veni Sancte Spiritus!
ad te meus suspirat animus.*

III.

IN terra datur spiritus, ut diligatur
proximus. Datur & è cœlo spiri-
tus,

tus, ut diligatur Deus. Sicut ergo est una charitas, & duo præcepta, ita & unus Spiritus, & duo munera. Fili! cape tibi hoc, qui spiritum dividis, dum Deum te diligere asseris, & proximum ubique contemnis. *Qui vos spernit, me spernit.*

Instructio meritoria.

Petamus igitur Unionem cum Deo, & ut evidentiùs tribuat, coram Sanctissimo meditationem pro opportunitate temporis instituamus de Adventu Spiritus Sancti cum hymno: *Veni S. Spiritus &c.* & : *Te Deum Laudamus.* Addamus unam, alteramve cibi abstinentiam, quâ nostrum venerabimur Sponsum, & dulcem animæ hospitem. *Quotidie vobiscum sum: Et non cognovistis me? Quid impudentius? homo recordatur hominis: Cur non & supremi Domini?*

Feria III. post S. Pentecosten.

EXHORTATIUNCULA I.

O Verbum consolationis! *Ego sum ostium*, ait Christus ipse: *Per me si quis introierit, salvabitur.* Fili! utique